DISPUTATIO

INAUGU

QUAED

FEBRE C

COMPL

ANNUENTE SU

EX AUCTORITATE REVE

D. GEORGII

ACADEMIAE EDINBU

NEC

AMPLISSIMI SENATUS

ET NOBILISSIMAE FACULT

Pro Grad

SUMMISQUE IN MEDICINA

RITE ET LEGIT

ERUDITORUM

GULIELMUS THO

Ang

SOCIETATIS REGIAE

PRAESES SE

EDINB

EXCUDEBANT J.

M.DCCC

(2.)

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUAEDAM DE

FEBRE CONTINUA

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, S.S. T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU;

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS THOMAS WILLIAMS,

Anglus,

SOCIETATIS REGIAE MEDICAE EDINENSIS,

PRAESES SENR. ANNUUS.

" Multum egerunt qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt; multum adhuc restat operae, multumque restabit: neque ulli nato post mille saecula praecidetur occasio aliquid adhuc adjiciendi."—*Seneca.*

EDINBURGI:

EXCUDEBANT J. PILLANS ET FILIUS.

M.DCCC.XXIII.

AND. DUNCAN, JUN. M.D. S.R.S. ED.

IN ACADEMIA EDINBURGENA

MATERIAE MEDICAE PROFESSORI ET PRAELECTORI CLINICO;

VIRO VIRTUTIBUS,

QUAE CIVEM HOMINEMQUE EXORNANT,

NON MINUS QUAM ERUDITIONE ET SCIENTIAE AMORE, INSIGNI;

ARTEM HIPPOCRATICAM SUMMA, ET MERITA CUM LAUDE EXERCENTI;

HOC, QUALECUNQUE SIT, OPUSCULUM,

MAXIME DEVINCTUS,

D. D. D.

AUCTOR.

Tibi, vir egregie, has studiorum primitias dicavi, non ut tuam famam, optimorum et doctissimorum judicum testimoniis jamdudum confirmatam, augerem; sed ut memorem tui beneficii me praestarem. Monita illa et consilia complura, quae de medendi scientia mecum munus illud Anglice "Clinical Clerk" *vocatum obeunte comiter et benigne communicasti, ita menti insita esse, ut in morbis medendis mihi praesto et ex usu sint, enixe opto et confido. Diu vivas familiae tuae Decori et solatio, arti Apollinis ornamento, hominibus vel valentibus, vel morbo oppressis praesidio.*

EDINBURGI, Kalendis Julii.

J. Bradforde Esq

with the compliments

of the Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE CONTINUA.

Continuam Febrem apud oppida hujus insulae grandiora nunc grassari, et hujus morbi causas, per omne seculum easdem, corpus humanum similiter affecisse apud omnes pro certo habetur; quamvis enim medici aliis temporibus alias opiniones de morbi genere, causa, rationeque medendi habuerunt; tamen humanum genus tali vitio semper et ubique laborasse ex ipsorum scriptis certe patet. Mihi, ad alia quanquam properanti, non omnino huic disputationi alienum videtur, brevissime opiniones varias inter celeberrimos, cum antiquos tum recentiores

medicos, de hujus morbi origine et causis exprimere, observationesque notatu dignissimas exponere.

Plurimi inter Graecos, ANAXAGORAM secuti, febrem aliosque acutos morbos bili superfluenti tribuerunt; cui doctrinae ARISTOTELES objecit*, et aliam, quamvis rei naturam minime diligentius scrutatus est, proposuit. HIPPOCRATES, rectius judicans, progressum formamque hujus morbi variam et mutabilem investigavit, sed ex ignorantia pathologiae tunc temporis imperfectae, causam febris agitare neglexit. PRAXAGORAS COUS † febris ineuntis horrorem e vena cava proficisci edocuit, quae opinio, ab ea, quam noster ARMSTRONG in medium protulit, venas nempe omnes inter horrorem sanguine congesto opprimi, haud multum distare mihi videtur. ERASISTRATUS ‡ febrem inflammationi cognatam esse primus contendit; et venas minutissimas sanguine congestas esse (παρέμπτωσις)

* Arist. de Part. Animal. lib. iv. † Ruffus, l. i. ch. 33.
‡ Galen. Comment. ii. in lib. de Nat. Human.

meminit *. CELSUM ei sententiae de natura febris cui ego assentior favisse apparet; his enim verbis utitur, " Dividam omnes (morbos) in eos qui in totis corporibus consistere videntur, et eos qui oriuntur in partibus :" et paulo postea " sequitur curatio febrium, quod et in toto corpore, et vulgare maxime morbi genus est :" et alibi " nec verum est, quod dicitur a quibusdam, nullam febrem inordinatam esse, nisi aut ex vomica, aut ex inflammatione, aut ex ulcere." Disciplina GALENICA de humoribus putrefactis et vitiosis, multum diuque apud Latinos et Arabicos medicos, Imperio Romano jam deflorescente, accepta, omnibus satis nota est. Ætius † multis praeceptis edocuit, quomodo febricitantes per aëra purum atque frigidum in cubicula admissum et similia curarentur; et admodum miror regimen huic contrarium, nempe quod excitat, unquam placuisse medicis peritis, qui ex morbi statu atque signis, aegrotos tali ratione curandi ad magnum peri-

* Galen. de Venaesect adv. Erast.

† Tetrabebl. ii. Serm. ii.

culum vel etiam mortem expositos esse, nosse debuerunt. In doctrina a PALLADIO* tradita, de interna et externa irritatione, et de istis humoribus suppressis qui secerni debent, multa parum distantia ab iis, quae hodie apud medicos omnes recepta sunt, praecipiuntur.

J. FERNELIUS † ad nervorum affectionem febres referendas esse primus omnium edocuit; hic et VAN HELMONT, qui febrem Archio vel principio vitae attribuit, eam disciplinam introduxit, quam acutissimus CULLEN, Academiae Medicae Edinensis decus, tanto studio curaque perfecit et stabilivit.

Pathologia Chemica PARACELSI multum inter haec tempora valuit; somniis vero ejus tam vanis et futilibus merito celeberrimus noster SYDENHAMUS semet opposuit; qui signa progressusque morbi sedulo considerans, recte jubet omnes motus incitatos abnormesque regi et sedari, vires autem dilapsas sustineri; si vel malum ingravesceret, vel se intermitteret, vel

* Opera Pathol. lib. iv. † Pall. de Febribus, cap. 9.

decideret. BOERHAVIUS nexum inter causas morborum et morbidas actiones inde incipientes apud Academicas suas Praelectiones exposuit. Opiniones diversas STAHL* confudit; et illustris SAUVAGE † Pathologiam hanc physico-chemicam arcte amplexus est, adjecto cordis et arteriarum incitato motu, quo mechanica obstructio amoveretur. Haud necesse est opiniones BROWN enucleare, quae, utpote simplices facilesque et medicorum studiis utiles, plurimos aliquando sectatores habuere. Quamvis mihi pergratum foret novam rationem curandi febres aliosque morbos acutos apud Italicos ‡ in hac dissertatione meminisse; vel varias opiniones apud medicos Germanos § enumerasse et investigasse; tamen sententiae apud nos receptae de natura, origine et causis febris prius, ut mihi videtur, considerandae sunt.

Meum fuit propositum, hoc malum clarius depingere ex febricitantibus quos ipse vidi; sed

* Theorea Medica. † Nosolog. Method.

‡ Rasori Tommassini. § Hildebrand Institut. Med. Reil.

hujus disputationis brevitate pauca tantum scribere cogor, praecipue cum causas rationemque signorum exquirere malim.

Nonnulli per aliquot dies animi et corporis lassitudine, torpore frigoreque vix percepto, afficiuntur; vultus quoque est pallidus, summa cutis adstricta: huic accedit maxima virium defectio, secernenda omnia vel imminuta vel suppressa, calor superficiei augetur, actione cordis paulo et inaequaliter incitata, lingua fit arida et fusca, humor glutinosus dentibus inhaeret; tremor in venis jugularibus manifeste observari potest:* aeger cibum nec appetit nec concoquit: aliquando vel obsurdescit, vel stupore maximo afficitur, vel supinus jacet. Talia signa per aliquot dies gradatim augent; tum, si ita dicam, consistunt; dein paulatim decrescunt; secretiones quoque redeunt; lingua ex sicca fit humida, cutis mollis, et alvus soluta est, cibi desiderium reverti-

* Hoc signum, quod, ut puto, plurimi medici haud recte arteriarum carotidarum pulsationem esse judicaverunt, Doctor Duncan, jun. febris continuae diagnosticum esse primus mihi ostendit.

tur, sitis minuitur, et aeger gradatim convalescit. Morbum, somno quieto praecedente, decessurum aegri vultus saepe primus mihi ostendit; et postea signa gravia tarde leniri observavi. Saepe vel urina copiosa, limpida, quaedam subsidentia habens; vel sudor per totam superficiem liberrime effusus; vel ex alvo liquidae dejectiones, nonnunquam quoque cruore mixtae, me morbum cito terminaturum certiorem fecerunt. Febris tamen non semper ita procedit; signa ingravescunt, animi vires delapsae sunt; nares fiunt acutae, tempora sunt collapsa, oculi concavi multa pituita sunt impleti, ungues digitique pallent, spiritus fit frigidus, et gelidus sudor caput cervicemque humectat—infelix tandem ad imam lecti partem delabitur, e veste fimbrias deducit, imagines captat, cum murmuratione delirat; stercora quoque liquida, foetida, aliquando cruore mixta ex alvo absque aegri voluntate dejiciuntur; urina autem, vel ob sphincterem resolutum continue stillat, vel, vi contractili vesicae amissâ, retinetur; tandem aegrum mors interimit. Quia in talibus exem-

plis, morbo ingravescente, nulla signa proprias partes afficientia sese ostenderunt, febrem hanc "continuam simplicem" appello.

Visceris alicujus inflammatio, vel partis nonnullius labor saepe cum solitis signis connectitur: hoc autem evenire vidi vel in primo, vel altero, vel tertio stadio; at licet partis laborantis indicia cum febris signis conjungantur; tamen his amotis, febris ad finem solitam perducitur. In febribus ita complicatis, pulsus necessario durior est, sitis urget, urina plerumque rufa et crassa; si ad caput sanguis ruit, aeger nocte dieque vigilat, oculi ejus lumen refugiunt, quae in iis alba esse debent rubescunt, et digito admoto arteriae carotidae valide micare percipiuntur; facies ejus fit tumida, mens delirat, brachia et crura quoque inaequaliter jactantur: interdum vero aeger nervorum distentione varisque hujusmodi doloribus urgetur. Si impetus sanguinis fit aut ad pulmones, aut jecur, aut intestina, respiratio est frequens et difficilis cum tussi molesta, dolor quoque, abdomine vel lateribus pressis, augetur; aut talis affec-

tio vel cibi fastidio, vel singultu, vomitu variisve aliis signis clare se ostendit. Minime praetereundum est, me multos febricitantes vidisse, qui per aliquot dies, nulla parte prae aliis laborante, aegrotabant: postea tamen pars aliqua inflammatione subacuta afficiebatur. Hoc malum, hanc aut illam partem aggrediens, sedem suam vel medicinae ope, vel sponte sua saepe mutare notavi: Indicia autem hujus affectionis incipientis haud sine magna cura et acumine deprehendi possunt; malum latens interdum abdomen prementi se ostendit, et acutus sed non depingendus vultus medico perito cerebri irritationem indicat. Tanta quoque exasperatio accedentem febrem aliquando comitata est ut capitis, vel pulmonum, aliusve partis inflammationi compar sit; hac autem sublata, pulsus frequens, calor superficiei auctus, lingua arida et fusca, secretiones suppressae, vires animi atque corporis fractae febrem continuam indicavere. Haud tamen hujusmodi mala, vel levia, vel gravissima febri necessaria esse mihi videntur: quippe in uno exem-

plo febricitantem ab initio oppressere; in altero per aliquot dies morbo jam consistente accessere; in tertio non nisi morbi finem versus aegrum affecere. Haec opinio multum confirmata est ex observationibus SYDENHAMI *, CHEYNE †, et DUNCAN ‡, qui haec abnormia quibusdam anni temporibus prae aliis valere affirmant: omnibus notum est, dolorem vel capitis, vel pulmonum, vel intestinorum, aliarumque partium eo anni tempore febricitantes praecipue afficere, quo talis morbus maxime grassatus est. Habitus autem corporis, vitae genus, morbique praecedentes non minus considerari debent. In melancholicis, morbus sub initium melancholiam saepe refert; et vel delirii trementis, vel hysteriae formam per aliquot dies febris induit. Tertium quoque genus febris vidi, in quo secundus, vel, ut dicitur, "exacerbationis" gradus, vix quidem observatus est; vel, ut aliter dicam, exempla non desunt febricitantium qui a primo ad tertium stadium "stage of collapse," vix

* Syd. de Feb. † Dublin Hosp. Rep. ‡ Clin. Rep.

ulla exacerbatione interjecta, cito transierunt: in talibus exemplis, crisis nunquam ferme manifesta est; refectio autem tarda, et periculum morbi recidivi semper magnum. Hanc formam cum ARMSTRONG "conjestive" nuncupo.

Signa quae, corpore inciso, patefiunt, vel inflammationem antecedentem, vel motum sanguinis concitatum in membranis mucosis et serosis saepe ostendunt; has enim densatas, illas ruberrimas vel purpureas vidi; serum lymphamque effusam, partes contiguas inter se adhaerentes animadverti. Rarius, sed aliquando tamen, membrana interna ventriculi et intestinorum erosa est, et media etiam tunica nonnunquam terebratur, et in perpaucis exemplis corpora spongiosa ex ulceribus pullulaverunt. Nunquam sane cerebrum vera suppuratione corruptum notavi; materiem tamen puri simillimam cum lympha coagulata commistam supra duram matrem ad cranii basin inveni. Fatendum tamen est, partes haud in omnibus exemplis ita videri, neque, ut opinor, signis

prioribus respondere*. In quarta circiter parte corporum post febrem dissectorum nullum morbi vestigium inveni†; et ipse etiam adfui dum sagacissimi medici corpora ad suas opiniones stabiliendas multa cura scrutabantur, qui se nullum vitium detegere posse confessi sunt. MORGANIUS ipse his verbis usus est, " atque adeo id saepe latet per quod febres interficiunt." In his autem intuendis permagni interest ne erremus, et eas laesiones pro febris causa habeamus, quae ex morbo praecedente oriuntur. Si ex cerebro rubente, (quod quidem indicat vasa sanguine referta,) patet actionem ibi fuisse inordinatam; anne igitur pro certo sequitur, uti contendunt MARCUS, PLOUEQUET, CLUTTERBUCK, et MILLS febrem inde ortam fuisse? Si membrana mucosa intestini plus justo rubet, vel ubivis ulcere aut sphacelo corrumpitur, an nobis cum BROUSSAIS putandum, talem inflammationem causam fuisse primariam,

* CHEYNE on the Dublin Hosp. Reports, hanc rem confirmat et etiam BATEMAN.

† Vide ARMSTRONG on Typhus.

eamque pro febris ipsissimo fonte et origine habendam? Annon verisimilius est istam sive cerebri, sive membranarum inflammationem febri jam existenti supervenisse? Nonne tutius foret confiteri, hanc rem omnino nobis ignotam esse? Mirari autem non debemus febrium causas occultas esse, cum nonnulla venena actione omnino ignota mortem efficiunt. Quaedam certe ex iis acuta inflammatione interficiunt; alia autem vitae vires subito delent, nec vestigium ullum necis causae relinquunt; cum primum enim extremis nervis adhibita sint omnes actiones ad vitam sustinendam necessarias ita pessum dant, ut causa vel modus agendi nobis omnino sit ignotus. Alia vero cum sanguine sese commiscent, et vires suas vel doloris severitate, vel morte ipsa tantummodo ostendunt.

Mills* ex aspectu partium, corpore inciso, opinionem suam firmare conatus est, febrem scilicet continuam ex cerebri inflammatione oriri: exempla† autem, quae ad confirmandam opinio-

* Mills' "Enquiry," &c. † Mills' "Dissections," &c.

nem adducit, ab iis quae commemoravi, parum discrepant; iisdem itaque argumentis de utrisque uti licebit. Eadem vitia in cerebro detecta fuisse, quae Phrenitis et Hydrocephalus ostendunt, affirmat. Si autem ea signa in omnibus exemplis febris continuae adessent, quae vel in Phrenesi, vel in pulmonis aut cordis dolore, vel in enteritide sese praebent, opinioni ejus statim assentirer. Talis vero opinio nec indiciis morbi ipsius, nec partium laesarum aspectu confirmatur: plurima enim corpora perscrutatus sum in quibus, nec in cerebro, nec in membranis, nec ulla in parte talis actionis notas inveni. Apud librum cui titulus est—"*Transactions of the Dublin Association*;" haecce verba eduntur; "The brain, so constantly supposed to be the seat of inflammation, rarely exhibited the characters of such a state; in some instances this organ was paler than usual:"—et PERCIVAL ita scribit, "With respect to the brain, I have examined many cases, in which no deviation occurred from the due and ordi-

nary condition of this viscus'"—Multi alii eandem rem confirmant. Cerebrum ipsum plerumque firmum inveni, et medici fere omnes idem testantur. Nec mirari debemus, cerebra febribus interemptorum firmiora esse iis quae anatomiam studentes secant, quia paulo post mortem illa explorantur, haec vero non nisi post aliquot dies plerumque secantur. Cerebra etiam non minus eorum, qui capitis poenas luerunt, quam febricitantium saepe firma sunt; iisdemque persectis, plurimas sanguinis guttulas ex vasis innumeris cerebri substantiam permeantibus stillantes nunquam non animadverti. Serum vero in ventriculis effusum saepe tantulum est, ut nihili faciendum sit: sin vero copiosius, et alia actionis plus aequo concitatae signa reperiuntur, non ideo semper pro certo judicandum est, cerebri inflammationem causam fuisse occultam multiplicis omnium actionum perturbationis, et virium tum animi tum corporis defectionis, quae ab initio usque ad finem morbi adfuerunt. Illa enim cerebri inflammatio Phrenesis dicta, aeque ac Hydro-

cephalus acutus signis longe diversis ab illis, quae Typho sunt propria, dignoscitur. Illis dolor capitis vehementissimus, maxima lucis atque soni impatientia, pulsus frequens, validus, durus, vultus atrox, delirium cum singulari furore, et vires admodum intentae accedunt. In hac vero contra, dolor obtusus, mens pigra, delirium cum murmure, tremores, imagines ante oculos volitantes, virium defectio, pulsus debilis et parvus potius quam validus inveniuntur. Praeterea nonne fieri potest serum, quod in multis cerebris revera inventum est, e vasis perquam laxatis paulo ante mortem effluxisse? Huic autem opinioni lubentius assentior, quod talis humor abundat, non sane in iis, qui, febre adhuc exardente, et exacerbatione gravissime saeviente obierunt; sed in iis, qui, multo serius, devicta scilicet incitatione, et viribus longo morbo jam fractis, in statu ut dicitur "collapse," potius quam in exacerbatione, morbo succubuere: Serum quoque longe copiosius inveni in quibusdam hominibus, qui cordis actionem incitatam vix ullam osten-

dere, sed qui contra, ex languore, lassitudine, cibi fastidio et tremoribus, vultum pallidum, summam cutem adstrictam, pulsum parvum et debilem, viresque multum imminutas habuerunt, et torpore, surditateque cum lingua arida et fusca laborarunt; supini quoque ad imam lecti partem delapsi sunt et, ut ita dicam, vitae viribus oppressis, gradatim deperierunt. Alii causam morbi medullae spinali ejusque membranis inflammatis attribuerunt: quicquid autem de partibus intra calvariam dictum est, idem ad eas intra canalem spinalem pertinet; iisdem enim argumentis utraque opinio vel refutatur vel confirmatur. Broussais et alii quidam ex inflammata membrana mucosa ventriculi et intestinorum febrem oriri et procreari contendunt: Hanc sententiam, ni fallor, Rahn Helvetius proposuit; et cum inter hodiernos medicos vigeat, haud inutile videtur considerare quibus rationibus, et qua auctoritate illius fautores suam opinionem vindicare conentur. Dictum est ab iis, qui hanc opinionem tuentur, nauseam, vomitum,

dolorem epigastri, et similia, quibus febricitantes saepissime vexantur, talem adesse inflammationem indicare; et membranam quoque illam post mortem ita vitiatam se invenisse affirmant, ut nullum aliud argumentum requiratur: plus tamen apud me ea quae sequuntur, quam omnia ab iis scripta valent. Si talis inflammationis signa febrem quidem semper antecederent vel comitarentur; si notae membranae mucosae inflammatae in omnibus corporibus secatis invenirentur, causa nulla foret cur hanc opinionem rejiceremus. In Gallia, fateor, vomitus, dolorque praecordia et totum abdomen infestans, quem levissimus quidem pressus intensiorem reddit, multo saepius quam in his regionibus febricitantes aggrediuntur. Alia signa rarius aut nunquam his antecedunt; morbo accedente perquam levia sunt, eo autem procedente ingravescunt: Sed verisimillimum est haec morbi discrimina ex eo praecipue pendere, quod alia curandi ratio inter Britannos, et alia inter Gallos usurpatur: Hi enim febricitantibus purgantia omnino inter-

dicunt; illi vero contra hujusmodi remedia affatim praecipiunt. Alvi humores retenti, febre mutati, et haud parum corrupti exacerbationem inflammationemque fortasse concitare possunt: si vero haec causa continuaretur, nequaquam mirandum est inflammationem saepe febrem comitare, et membranam, istis humoribus excitantibus obnoxiam, post mortem corruptam videri. Ast apud Anglos nec durante vita talia signa febres comitare solent, neque post mortem ista morbi vestigia saepe reperiuntur. Mihi autem objici potest, haec vitia saepe adesse, licet scrutatorem lateant, aut clari BICHAT sententia forsitan in auxilium vocetur, scilicet membranas inflammatione correptas brevi post mortem ruborem amittere: multa me prohibent ne illustris viri sententia adeo abutar, ut ejus inflammationis, quae mortem inferre valuit, vestigia omnino evanescere posse assentirer: Credo BICHAT verum enuntiasse, modo inflammatio levis sit: at, nisi fallor, nimium potius quam nimis parum et parti subrubrae, et vasculis paulo distentiori-

bus, signis profectò in ventriculo et intestinis saepe observandis attributum est. Minime tamen dubito quin multi, et quidem graves morbi cerebro et nervis quodammodo vitiatis referendi sint, licet scrutator acerrimus morbi vestigia scalpello patefacere non valeat: multa enim ad genus nervosum spectantia et latent et latebunt: non autem ideo sequitur inflammationem membranae internae ventriculi et intestinorum ita levem ut oculis cerni non possit, vel ita fugacem ut illius ne vestigia quidem sint detegenda, mortis, vel huic praecedentis morbi signorum causam esse. Omnibus ferme notum est viscera post mortem inflammationis praecedentis signis vitiata in febribus saepe reperiri, etiamsi nullum omnino indicium talis actionis, aegro spirante, adesset*. Nonne igitur probabile est istam inflammationem febri jam confirmatae supervenisse, et nervorum torporem, sensusque inde hebetes

* CHEYNE "Dublin Hospt." Rept. eandem sententiam firmat, multi etiam alii.

tardosque medico istud celasse? Anne autem mirandum est membranam tam molli et delicatissima fabrica praeditam, humoribus vitiatis acrioribusque irritatam, vi solita nervorum tunc diminuta, et idcirco ad abnormem irritationem resistendam minus paratam, saepe inflammari? Aegros quoque novi, praesertim in autumno, febri jam prope finita, dysenteria laborare, et aliquando vel ex hac causa mori, vel morbo priore omnino finito, tarde, propter alvum nimis solutam et intestinorum vitia, convalescere. Si haec inflammatio dysenterica febrem excitarit, cur rogo, causa primaria adhuc consistente, morbus finitur: vel hoc non evenire debet, vel dicendem est opinionem BROUSSAIS nec ex partibus laesis scalpello patefactis, nec ex morbi ipsius signis et progressu certò probari*? Denique ita prorsus existimo medicos omnes, qui priorem morbum cujusvis partis interioris cau-

* M. LAENNEC opiniones BROUSSAIS clare et subacto judicio, ut puto, refutavit.

sam esse primariam febris continuae putant, nunquam ejus reconditam et multiplicem naturam animadvertisse; mihi enim videtur naturam in multis febricitantibus eas leges* sequi, quae medicorum sententiam de alicujus partis malo, quasi causa, omnino refellunt: Typhi enim indicia, omnium nimirum partium actiones perturbatae, vires animi ac corporis fractae, humores qui secerni debent haud secreti, vis abnormis et inequalis nervorum, et similia, ut puto, nulli inflammationi cujusvis partis attribuenda sunt. Tali autem sententiae ratio repugnat; nullum enim principium in arte medicinae hanc causam tot tantasque mutationes posse efficere ostendit. Uti enim medicis omnibus notissimum est, cordis et arteriarum actiones concitatae, nervorumque perturbationes, ex simplice quavis inflammatione ortae et nixae, huic legi omnino obsequuntur; viz. inflammatione accedente accedunt, ingravescente intensiores fiunt, et decedente finiuntur. Hoc autem typho non accidit, nam sublata partis

* Laennec de L'Auscultation Mediate.

alicujus inflammatione, signa morbi non decedunt; vel aliquando postquam unius partis inflammatio sublata est alterius dolor accedit, ex quo, licet aeger certe magis vexetur, febris ipsa parum mutatur. Bene observavit LIEUTAUD "delirum vero febrile praeviae febri appenditur, solosque febricitantes adoritur; cum minime mirum est, si hoc sedato, perstet febris solitamque periodum absolvat: aliter res se habet sub phrenitide; si enim resipiscunt aegri illico sanati restituuntur, si excipias virium debilitatem." Quinetiam notas febris ineuntis non ex inflammatione vel cerebri vel partis cujusvis alius oriri, satis constat, si cum febris intermittentis signis comparentur. Accessio utriusque eadem est, et inter se tantummodo discrepant propterea quod in hoc horror major est, et citius transit in ardorem mox sudore solvendum: haec series per tempus plus minusve longum ternis vel quaternis diebus renovatur: donec cortex cinchonae vel arsenis potassae morbum tandem sustulerit: cum his signis procul dubio febris continuae cursus multo me-

lius quam ullo alio morbo comparari potest. Nemo autem febrem intermittentem inflammationi vel cerebri, vel chordae spinalis, vel visceris alicujus tribuere potest; nisi sibi persuadeat, istam inflammationem, haud secus ac febris accessionem, modo quiescere, modo redire, et remediis jam memoratis cedere. Praeterea dubitari non potest plerosque typho laborantes sine medicinae auxilio ad sanitatem pervenire posse, modo ab initio in conclavibus spatiosis aëri expositis cubant, et mundities adhibeatur. Phrenitis vero, Peritonitis et Gastritis valentissimis tantum remediis cedunt: et si vinum, cinchona, et alia quae excitant adhibita sint in his morbis, ut nuper in febribus, spes nulla foret aegros convalescere posse. Cum igitur certum sit febres, quae ex partium inflammatione oriuntur, interimere aegros, si iisdem remediis, quibus febris continua olim curabatur, uteremur, haud fieri potest ut hae febres ex eadem causa incipiant. Inflammationem nunquam typhum comitari, vel febricitantes interimere nequaquam affirmo: etsi RIVERIUS mihi recte

judicasse videtur, ubi dicit "febres acutas et malignas rarissime sine visceris alicujus inflammatione accidere;" minime tamen hanc morbi causam esse primariam vel partem necessariam sentio. PERCIVAL* recte scripsit, "Typhus differs from fevers arising from simple local inflammation in many important particulars; but in none more remarkably than the sudden failure of mental and voluntary power, the tendency to perform a certain cycle of morbid changes in definite periods;" huic opinioni, si tantum haec verba adderentur "to terminate in health" omnino assentior. Genus nervosum prae ceteris corporis partibus in febre continua laborare mens perturbata, stupor, sensus plurimi laesi, motus voluntarii difficiliter nec rite peracti, tremores, vires prolapsae, et similia ostendunt: nequaquam vero cum quibusdam credendum hanc perturbationem valetudinis ab inflammatione oriri; uti autem cerebri et generis nervosi status vitiosi majori injuria et in-

* "Pract. Observat." &c. by Dr. ED. PERCIVAL.

commodo aegros afficiunt, quam ullius alterius partis affectio morbosa, sic typhus pene solus inter omnes morbos, vires universas mentis et corporis perturbat. Mihi ergo haud ineptum videtur judicare illud malum, quo typhus gignitur et continetur, genus nervosum imprimis afficere. Nemini tamen adhuc notum est, quae sit illa mutatio nervosa, quid illud virus aut vitium, unde tot tantaque mala moventur: Signa autem abnormia, quae in variis adversae valetudinis generibus reperiuntur, mirabilem nexum, quo partes corporis inter se longe disjunctae nervorum ministerio consociantur, plane ostendunt; nec melior horum signorum aut magis perspicua ratio reddita est. Anne ergo mirandum est, si, genere nervoso perturbato, corporis universi actiones afficiantur? Viscus, cui vis solita nervosa sit adempta, neque incitari, neque proprio officio rite fungi posse experimenta in ventriculum, et alias partes instituta certissime docent: Nonne igitur ruina fere universa metuenda est, cum haud unius tantum partis, sed totius corporis vis nervosa

oppressa sit? Hinc febricitantes sanguinis distributione abnormi et inequali, secernendis vel imminutis vel suppressis, mente laesa, sensu hebetiori, artuum resolutis viribus, et similibus affecti sunt. Causae igitur qualescunque sint, quae febrem continuam gignunt, genus nervosum in primis afficiunt; organa autem quae sanguinem movent tantum cum cerebro commercium habent, et sanguinis motus ad cerebrum excitandum propriisque muneribus aptandum adeo necessarius est, ut hae binae functiones subsidium ferant et petant vicissim; et, una turbata, altera protinus ita morbum participat, ut utriusque vitia eundem ortum habere videantur. Sanguinem minore vi, febre ineunte, moveri tum vultu, tum summa cute pallida, et extenuata certissime apparet: Vires fractae efficiunt ut arteriae minus sanguinis solito, venae plus habeant. Hanc opinionem partes laesae scalpello dissectæ in corporibus eorum, qui ex febre intermittente laborantes inter ipsos horrores mortui sunt, satis probant. Quod jam dictum est causam ostendit

cum molestiae et gravitatis, quibus hoc tempore caput, spina, dorsum et artus afficiuntur, tum nauseae, anxietatis circa praecordia, et arteriarum debilis languidique motus, aliorumque signorum quae in hoc statu oriuntur. Huic languori, vel oppressioni, ut vocatur, renixus serius ocius supervenit, dummodo vires ad hoc sufficiant: hinc actio cordis et arteriarum fit validior; unde tota cutis rubet, incalescit, et alioquin turget; nec venae diutius sanguine plus aequo onerantur: tum, quod rationi consentaneum est, torporis et oppressionis indiciorum loco, capitis, lumborum, artuumque dolores accedunt, nervi more insolito sentiunt; sonus et lux aegre tolerantur; perturbati sunt sensus, aut minuuntur aut admodum acuti fiunt. Si aeger valetudine integra antea usus est, haec incitatio, sine ullius visceris inflammatione, tempore in quietem reducitur. Si vero febris debiles et valetudinarios tentat (quales sunt multi pauperum) venæ non ita levantur, hinc illa febris varietas quam Armstrong "Conjestive Typus" nominavit. In hac forma vis medicatricis

debiles et inutiles conatus bis terve in die notantur; et subinde, membris frigescentibus, trunci corporis algor paulum augetur. In aliis exemplis pars aliqua, ex affectione praecedente, vel ex alia quadam causa morbo obnoxia succumbit: huic causae localis inflammatio febres aliquando comitata praecipue tribuenda est. Nonnunquam etiam, exasperatione generali decedente, cujusdam partis vasa sanguifera auctam actionem continuant: hæc autem actio interdum adeo obscura et subacta est, ut fere lateat nisi, ingravescente febre, abnormia quædam signa inducit. Statum, quem typhus decedens exhibet, torpore prostratisque viribus notatum, et a medicis "nervous" vocatum, non omnino ex cordis et arteriarum excitatione pendere, ex eo manifestum fit, quod in aliis morbis concitatio multo gravior quam in typho videmus hoc statu non terminatur; et praeterea quod etiam sub finem febris interdum supervenit, ubi exasperatio tam parva et parum evidens fuit, ut illius status causa haberi non potuerit. Constat igitur febrem continuam morbum esse sui generis,

vel seriem morbosarum actionum, quæ, sicut exanthemata, cursum definitum in varia tempora divisum implet. Horum vero singulis multa saepe abnormia eveniunt, quae etiam si formam variant, febri ipsi nec necessaria nec propria sunt habenda. Ab aliis febrium generibus eo discrepat, quod vitium non tantum partes aliquas afficit, sed omnes corporis vivi actiones perturbat. Quae res efficit, ut morbus, secundum corporis habitum, aetatem, vires, et similia, variam formam assumat: nonnunquam enim, ut ita dicam, simplex est, alias cum alicujus partis inflammatione conjungitur, et alias, sanguine in venis congesto, aliquando per totam periodum mutatur. Medici igitur prudentis sedulo omnia circumspicere, actiones varias notare, citiores tardare, nimias sedare, segnes stimulare, et, neglectis legibus praeceptisqueperpetuis, ea curandi ratione uti, quæ vario morbi statui respondeat. "Refert enim" ut inquit Celsus "qualis morbus sit, quale corpus, quale caelum, quod tempus

anni; minimeque in rebus inter se differentibus perpetuum esse praeceptum potest."

FINIS.